

107

105

111

101

116

096

156

056

206

006

Ende

Anfang

92

reducere; sed quantum secundam partem non posset eum acceptare, et allegavit multas rationes propter quas in mense Majo non potest esse navigatio. Et ideo in XIV diebus non posset nos educere, nec in XXVI. diebus; sed transactis XXVI. omni hora vellet habito vento proficisci. Ad XII. articulum etiam dixit, quod non minus, quam XLV. ducatos vellet de quolibet peregrino habere; allegans rationes multas. Ad. XV. dixit: quod mortuum libenter vellet in galēa sustinere, sed mare non posset eum pati, et navigatio nostra impediretur. Sed quid veritatis hoc habeat, vide fol. 198. B. De aliis articulis omnibus stetit contentus. Et tandem cum eo conventionem fecimus per longam interlocutionem. Conventione facta duxit nos omnes ad St. Marcum in Ducis palatium, et apud protonotarios civitatis nos statuit. Qui audientes causam nostrae presentationis, singulorum nomina, status et conditiones inscripserunt in quandam grandem librum, cui et prius inscriptus etiam fueram in prima mea peregrinatione: et ita ratificatus fuit contractus et conventio nostra. Quo facto cum patrono in galēam navigavimus, et ad latus sinistrum eligimus locum pro XII. personis, quem locum patronus distinxit in XII. cumbas vel stantias, ad quas cum creta scripsit singulorum nomina, ne quis illa loca occuparet. Tetigit autem me sors bona, et meliorem cumbam vel stantiam habui, quam aliquis de nostra societate. Est autem cumba vel stantia locus pro uno homine in longum extenso a capite usque ad pedes sibi assignatus ad dormiendum, sedendum, manendum, sive sit sanus, sive infirmus. Itaque his sic compositis, in hospitium nostrum navigio reversi sumus. De omnibus autem eramus bene contenti, dempto illo, quod tam longum tempus et multos dies adhuc nos Venetiis manere oportuit, quod erat nobis valde grave.

Finit tractatus primus.